

16461.

D E

**HAEMORRHOEA PETE-
CHIALI.**


DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA,
QUAM
AUCTORITATE AMPLISSIMI MEDICO-
RUM ORDINIS

IN
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

UT GRADUM
DOCTORIS MEDICINAE

RITE ASSEQUATUR,
CONSCRIPSIT ET LOCO CONSUETO PALAM DEFENDET

AUCTOR
Ulricus Adolphus Glaeser
CURONUS.



DORPATI LIVONORUM.
TYPIS J. C. SCHUENMANNI,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCXXXVI.

I M P R I M A T U R

haec dissertatio, ea tamen conditione, ut simulac typis fuerit excussa, quinque ejus exempla collegio libris explorandis constituto tradantur.

Dorpati Liv. die 24. m. Aug. 1836.

Dr. P. U. WALTER,
Ord. Med. h. t. Decanus.

FRATRI DILECTISSIMO

Carolo Glaeser

VERBI DIVINI MINISTRO

**PROPTER PERMUTA IN SE COLLATA
BENEFICIA**

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO OFFERT

D17815

AUCTOR.

Medici antiquiores hujus morbi indolem atque naturam false perspexerant eumque scorbuti quandam speciem esse putabant. Werlhof(1) primus fuit, qui sub nomina „morbi maculosi haemorrhagici“ eum certius meliusque describeret, at tempore demum recentissimo de hujus morbi natura certiores facti sumus. Ut vero de nomine ejus dicamus, variae huic inditae sunt appellationes: Duncan „petechianosin“ eum vocat, Sauvage „Stomacaces universalis“ nomine eum denotat. Bielt, Cazenave et Schedel (3), Willan (4) et Plumbe (5) purpurae speciem eum habent, eumque „purpuram haemorrhagicam“ appellantes describunt. Adair (6) et hunc secutus Batemann (7) „haemorrhocam petechialem“ eum vocant. Swediaur „peliosin“ eum appellat, Schoenlein (8) contra „peliosin Werlhofii;“ Rayer (9) vero „haemacelinosis“ nomen ei dedit.

Symptomatum recensio.

Prodromi interdum hunc morbum annuntiant, nempe languor, lassitudo post virium intentiones levissimas, et mens et corpus ad labores suscipiendos minus parata, appetitus deest, dolor in capite sentitur, dolores dorsum, regionem sacralem et lumbos permeant et peculiaria quidam sensus in praecordiis sentitur. Fit tamen, ut morbus sine ullis prodromis erumpat (10) inprimis in corporibus robustis, quae nullus morbus antea vexaverat. Morbi initium petechiarum apparitione annuntiat, quae maculae sunt variae magnitudinis, lineae unius ad linearum trium extensionis, signis cruentis simillimae, quas pulicum morsus in cute procreare solent, ita tamen, ut in centro punctum fuscum non reperias, qui pulicis morsum indicat. Petechiae colore primum sunt fusco-purpureo, dein fusco-coeruleo, dein colorem fusco-flavum assumunt et denique paullatim evanescent, nullis squamis, vel alio quodam sui vestigio in cute relicto. Sub cute latent, neque eam superant, primum in extremitatibus inferioribus et iis locis animadvertuntur, qui vestibus tegi solent, paullatim ad truncum corporis et extremitates superiores procedunt, faciem tamen et manus non adoriuntur, vel minus frequentes has partes afficiunt, quamvis morbi huius gravioris existent exempla, in quibus petechiae tunicam scleroticam affecerant. Similes maculae in parte interna labiorum, genarum, in lingua, gingiva, velo palatino et in faucibus

animadvertuntur. Forma plerumque sunt rotunda, quamquam pars externa interdum dentata et inaequalis est, digito pressae non evanescent, imo potius interdum augentur magnitudine; non semel prodeunt, sed postquam per tempus aliquod steterant, evanescent, novaeque in eorum locum surgunt. Aut solae sunt et singulae, aut densae in corporis partibus animadvertuntur, quin interdum in unum coire et adunari reperiuntur. Inter maculas hasce, quas modo descripsimus, majores reperiuntur formae variae, vel rotundae pollicis diametro gaudentes, vel longae et protractae, quae vibices dicuntur. Nulla symptomata, ex quibus cutis morbosum quendam statum suspicari possis, earum praecurrere solent apparitionem. Quae maculae saepe ex violenta cutis affectione oriuntur, quin pulsus arteriarum teligisse interdum, ut provocarentur, sufficiebat (12). Cito post, aut una cum iis, aut, quod raro fit (13) jam ante petechiarum eruptionem sanguis sponte exit, quo morbus hicce inprimis ab aliis secernitur, et quidem plerumque ex naso et ore. Locos, ex quibus sanguis emittitur, si diligentius perscrutaris, maculas reperies fusco-nigras, quae exoriatae videntur, vel tectae cortice, quem sanguis coagulatus efficit, e quibus sanguis veluti ex spongia stillat, saepeque gingiva animadvertitur prorsus emollita. Sanguis vero interdum e ventriculo, pulmonibus, trachea, organo urinam ducentibus et parantibus prodit, vel cum alvo emittitur, mulierum saepe ex vagina et utero profluit, et in gravidis abortum efficere valet. Sanguinis emissi quantitas est varia,

interdum modo stillat, saepe tamen majori copia profluit, quin tam vehemens fit, ut vita extingatur. Qui tamen casus rariores sunt, nam plerumque post tempus aliquid profluvium sanguinis sponte sedatur. Quae haemorrhoea post temporis quoddam spatium redire solet, saepe post causas, quae activitatem systematis vasorum augent, nempe post fervorem, nimium laborem, saepe si animus nimis afficitur, utpote ira, timore (14). Saepe vero sine ulla causa prodit, quidquod interdum typum observat periodicum (15). Sanguinis quoque qualitas diversissima est, saepe indole est corrupta, dissoluta, pici decoctae simillimus, vel liquori sordido, non coagulatur, saepe contra aquosus vel magis serosus est, interdum vero similis est sanguini, qui in morbis mere inflammatoriis ex venis elicitur, coagulatur, quin crustam prae se fert inflammatoriam. In gravioribus morbi gradibus ex cutis tegmentis desudat, epidermis interdum iis in locis, ubi tenerrima est, a sanguine affluente ad formam vesicae extollitur, quae saepe finditur et gravis haemorrhoeae causam praebet (16).

Valetudo, in universum si spectatur, hoc in morbo maxime differt, aegri interdum non nisi de languore quodam conqueruntur et negotiis suis assuetis incumbere possunt. Plerumque tamen molestiae animadvertuntur, aegri capitis dolorem, cibi appetitum deficientem conqueruntur, interdum tussis vehemens et alia symptomata catarrhalia animadvertuntur, vel gastrica morbum comitantur, regio epigastrica turgere incipit, aegri sapore ingrato, angore,

vomitu vexantur, vel in aliis morbi casibus regio hypochondriaca dextra turget, aegrotus de sensatione dolorosa conqueritur, si hepatis verteretur, una quoque symptomata animadvertuntur licet icterica. Haud minus raro symptomata animadverti possunt, quae splenitidem annuntiare videntur (17), nempe dolor, si regio hypochondriaca sinistra premitur, hujus regionis tumor et caet. Alvus modo deest, modo liquida et cruenta profluit, urinae secretio imminuta et in qualitate sua mutata, jumentosa, colore purpureo est et cito dissolvitur, gazum ammoniacum abunde procreans (18). Transpiratio cutis plerumque suppressa, cutis saepe, si manus admoves, frigida reperitur, pedes inprimis frigescere videntur, interdum tamen cutis secretio aucta est. Febris plerumque nulla animadvertitur, quam ob causam Richter hujus morbi indolem in febre deficiente (18) inveniri ratum. Pulsus arteriarum lenior esse solet, quamvis id non semper animadvertatur, cum casus reperiantur febris conjuncti, quae variam indolem prae se fert, interdum quoque charactera exhibet omnino inflammatorium et ad verperum augetur acriorque fit, interdum indolem adynamicam assumit, quod ea, ex causa facile hic fieri posse videri licet, quod causae satis multae occurrunt, quae vires exhauriant. At vero si morbus ab initio saepe sine ulla febre incipiat, tamen si morbus diuturnior est, et haemorrhagiae frequentes eum comitantur fieri non potest, quin febris exoritur, quae hecticam indolem exhibeat. — Aegri animus demissus plerumque et quasi sollicitudinibus vexatus.

Willan (19), qui hunc morbum exanthematibus et quidem purpuræ adnumerat, quatuor hujus statuit species:

I. Purpuram simplicem, quæ sola petechiarum, quas supra descripsimus, apparitione insignis est, nec ulla conditione aegra distinguitur, nisi lassitudine quadam.

Idam speciem morbus modo descriptus efficit, eumque Purpuram hæmorrhagicam vocat.

IIIam sumit Purpuram urticantem; epidermis hic tollitur, ita ut parvæ elevationes purpuræ, iis similes, quas in urticaria vides, exoriantur, hæc paulatim surgunt, sed post diem unum aut dies plures decrescunt, colorem mutant, fiuntque fusco-rubrae et paulatim evanescent. In extremitatibus inferioribus imprimis animadvertuntur, et cum peticulis conjunctæ sunt. Ceterum non majorem in cute parant molestiam, quam petechiæ vulgares.

IVtam denique speciem eam contendit esse, quam Purp. contagiosam vocat, quod nomen iis petechiis dat, quæ in febribus malignis et putridis animadvertuntur.

Tres species priores minus inter sese differre sed potius varii ejusdem status morborum gradus esse videntur, species quarta vero eo differt, quod non necessario ad morbi indolem pertinet, sed potius febribus adynamicis maxime variis accedere potest, tunc autem signum est malæ notæ, cum tonum maxime demissum systematis vasorum et sanguinis dissolutionem indicet, quod ut species tres priores efficiantur, non semper requiritur.

Schönlein (20) duas hæmorrhoeæ petechialis varietates statuit, quarum prior a febre incipiat paullulum frigoris exhibente, quod fervor, rubor genarum circumscriptus, sitis et alia sequantur, quæ ad vesperum exacerbentur et febri hecticæ similis fiat. Varietatem alteram insignem esse contendit symptomatibus, quæ splenitidem comitari soleant, utpote turgore regionis hypochondriacæ sinistrae, dolore, qui in ea sentiatur, colore cutis quodam peculiari, dolore capitis surdo, vertigine aliisque. Quæ tamen divisio mendo laborare mihi videtur, eo quod non cuivis casui aptari possit; morbum enim, quem dicimus, sæpe sine febre incipere videmus, vel si hæc adest, sæpe charactera habet synochæ, minime autem semper febris hecticæ, præterea affectiones hepatis non minus sæpe, quam affectiones lienis animadvertimus, vel in aliis casibus symptomata secretionum turbatarum organorum abdominalium.

Morbi duratio et exitus.

Morbus varie durat, sæpe XIV. dierum spatio absolvitur, sed plerumque ad longiorem durationem inclinare reperitur, et per menses non solum, quin per annos integros protrahitur. Sanatione morbum terminante, petechiæ paulatim resorbentur, novæ non amplius produnt, hæmorrhagiæ rarius rariusque redeunt, earumque quantitas minuitur, reliquæ molestiæ evanescent et appetitus paulatim redit, diu tamen, ubi morbus gravior fuit, vires priores ut

prorsus redæant, expectari debet. At vero non semper morbum ad exitum felicem ducere contingit, cum saepe vel morte finiatur, vel in morbos secundarios exeat. Mors variis modis provocatur, nempe vel nimia sanguinis amissione, cujus rei exempla nonnulla Bateman affert (21). Symptomata gravissima tunc animadvertuntur, corpus totum nimio pallore afficitur, extremitates primum frigescunt, tunc nasus, frons et paulatim reliquum corpus, quod sudore frigido obtegitur; pulsus arteriarum imminuitur et lentius procedit, intermissis micat ictibus et denique, prorsus non animadvertitur, respiratio laboriosa est, aeger angorem maximum conquiritur, acies oculorum quasi velo obtegitur, aures tinniunt, sensus deficiunt, vertigo et syncope animadvertuntur, quae euncta mors, aegrum inter spasmos et convulsiones e vita tollens, insequitur, qui tamen miseri exitus rariores sunt. Vel sanguis tanta cum vi ex naso atque ore prorumpit, ut nimia respirationis interruptio exoriat, et sanguis per conatus aegri, ut spiritum ducat, in vias respiratorias perveniat, aegerque miserae suffocationis morti succumbat. Vel sanguis non libere e corpore emittitur, sed cursu infelici organa gravioris momenti interna petit, utpote cerebrum, pulmones et alia, vitamque apoplexia cruenta amittit aeger. In aliis casibus sanguinis emissio non tanta est, ut statim vitae periculum minuet, imo potius sanguinis deractiones singulae facile tolerari posse videantur, frequenti vero reditu suo sanitatem tutius et certius supprimunt, tonus vasorum magis magisque imminuitur, incitabilitas systematis

vasorum magis magisque augetur, sanguinis mistio magis magisque vitatur et organismo nutriendo impar fit, functiones omnes vitiosæ procedunt, sanguis partes solidas non amplius alit, sed potius serum secernit aquosum, nutriendo impar, quam ob causam intumescentiæ hydro-picae animadvertuntur, primum circa malleolos, quae paulatim altius procedunt, dein in cavitates corporis humani transeunt; paullo post febris hectica animadvertitur, atque sudores et diarrhoeae colliquativæ, et aegrotus signa debilitatis maximæ ostendens hydropi succumbit. Interdum tamen non omnis sanguis emittitur, sed pars quaedam in organis internis colligitur et nisi resorbetur, quasi corpus alienum vim suam exserit, inflammationes chronicas procreat ejusque exitus perniciosos, et saepe vitam finit aeger, phthiseos ostentans symptomata.

Cadaverum sectio.

Cadavera eorum, quos haemorrhoea petechialis consumsit, sanguine nimis vacua, telae omnes pallent, venae exsanguæ, in membrana mucosa organorum fere omnium internorum ecchymoses reperiuntur, iis similes, quae sub cute inveniuntur, quin sub membranis serosis, sub pleura, pericardio, peritoneo et arachnoidea (22) observatae sunt. Quod organa singula attinet, neque in his constantia eademve signa morbi observantur, multa eorum effectus potius sunt, quam causa morbi. Inveniuntur enim extravasata sanguinis inter tunicas cerebri, sanguinis

accumulationes in parenchymate pulmonum (23), in hepate, liene, renibus (24) et intra musculos. Saepe tamen status abnormes organorum internorum apparent scrutanti, quos morbi causam si dixeris non erraveris, de quibus infra plura fusius disputabo. His abnormitatibus eas adnumera, quae in liene animadvertuntur, Bateman ex gr. narrat (25) se lienem reperisse, qui ad os ilei dependeret; in aliis casibus certa signa lienis inflammati animadvertebantur, quam rem symptomata quaedam jam vivo aegroto indicaverant (26). Morbosas mutationes similes hepar saepissime exhibet (27), ita ut inflammatione chronica affecta, ejus magnitudo sit aucta vel substantia indurata. In pulmonibus tubercula saepe, aut hepatitis, aut vomicae et abscessus, glandularum Vesalii depravatio, quae modo emollitae, modo auctae sunt et durae, reperiuntur (28). Interdum vitia organica cordis et vasorum magnorum et aneurysmata observantur (29). Cadavera facillime putrescere dicuntur.

Aetiologia.

Hujus morbi causa, quamvis multa et optima de eo existent scripta, nos adhuc latet. Id tamen ex descriptione morbi, quam supra exhibuimus, colligere licet, eum pathema esse systematis vasorum. Quam ob causam huic morbo majori cum jure locus assignandus erit inter haemorrhagias, quam inter morbos cutis, quod scriptores nonnulli voluerunt, nulla enim

symptomata invenies, e quibus cutem morbose affectam esse colligere posses. Estque haec causa, cur nomen, quod Adair et Bateman ei dederunt, „haemorrhoeae petechialis“ ceteris praefendum videatur, cum symptomata maximi momenti cuncta in se contineat; additamentum enim petechialis certius quam verbum maculosus indolem harum macularum denotat, purpurae vero nomen a diversis auctoribus morborum formis diversissimis tribuitur. Ab aliis haemorrhagiis, exceptis scorbuticis, atque iis, quae in febribus putridis occurrunt, haemorrhoea petechialis ex mea quidem sententia genere suo non differt, sed eo tantum, quod sanguis majori cum extensione ex systemate vasorum capillarium prodeat, neque omnis sanguis libere emittatur, sed pars ejus quaedam in cute remaneat. Causa proxima in eo nititur, quod sanguis ex ultimis vasorum finibus, ubi magna impedimenta non obstant, ut in primis iis in locis, qui epidermide tecti sunt tenui, libere erumpit. Ubi vero impedimentum hocce majus est, quam quod vinci possit, non solum in tela cellulosa sub cute, sed etiam in reti mucoso Malpighii colligitur, quod in priori casu petechias, in altero vesiculas sanguine repletas procreat.

Ea quaestio adhuc dijudicanda est, num sanguis, qui emittitur, arteriarum sit vel venarum. Kreysig (30) qui hujus morbi causam in systemate venoso, et quidem in pathemate venae portae inveniri ratur, hanc haemorrhagiam venosam esse putat, eam ob causam, quod symptomata cuncta, quae arteriarum pathema

comitari solent, desunt, imo potius permulta reperiuntur, quae affectionem systematis venarum indicent. Quae posterior causa, quamvis in omni casu negari non possit, tamen casus observantur, qui contra argumentum prius pugnant, in quibus origo sanguinis ex arteriis satis perspicue animadvertitur per symptomata inflammatoria, quae hoc in morbo saepius observantur, in hominibus, quorum systema venae portae stagnationem non patiatur. Color fuscior sanguinis, coagulandi facultas imminuta, quae Kreysig praeterea, ut sententiam suam tueatur, affert, hac in re nil probant, quum non solum saepe prorsus desint (51) et color fuscior atque coagulandi facultas imminuta sanguinis conditionem decompositam indicent, quam saepe hoc in morbo inveniri jam supra monstravimus. Quam ob causam verisimilius mihi videtur, fontem hujus haemorrhoeae fines ultimos arteriarum statuere, qui non amplius tunicis vasorum circumdantur propriis, sed spissiore et densiore tela cellulosa. Jam ratio circulationis sanguinis hoc confirmare videtur, quum non bene intelligatur, cur sanguis in venis, quamvis multis in casibus interceptus refluxus ad cor per venas causam efficiat haemorrhagiae, motum retrorsum assumat, cui sanguis ex arteriis affluens et valvulae in venis extremitatum obstant. Accedit adhuc, quod in statu normali omnes fere secretiones ex systemate arteriarum prodeunt. Ruptura venarum, qua earum sanguis immediate emittatur, in rarioribus tantum casibus observatur, quum satis notum sit, venas multo magis extendi posse, quam arterias, cujus rei va-

trices documentum certissimum sunt. Atque haemorrhoea tum non parvulas istas petiulas, sed majora efficeret extravasata.

Majoris momenti atque difficilior dijudicatu illa est quaestio de causa, quae efficiat, ut sanguis prodeat. Ex iis, quae supra disputavimus, causam nullatenus in omnibus casibus eandem imo potius maxime variam esse, clarum est. Videmus enim hunc morbum saepe in statibus maxime variis exoriri, animadvertimus nempe in aliis casibus symptomata, quae vim systematis vasorum depressam, in aliis contra, quae illam auctam esse indicant. Non solum corpora tenera et debilia, homines, qui diaeta utantur tenui et quae non multum nutriat, eos, qui rebus ad victum maxime necessariis egeant, in domiciliis humidis et in carceribus et nosocomiis publicis male constitutis vivant, vel in aëre multorum hominum confluxu maxime depravato, sed etiam homines robustos affici videmus, qui cibum sumant fortem, bene nutrientem et systema vasorum excitantem atque prosperrima gaudeant vitae conditione. Quapropter maxime miror, omnes scriptores antiquiores, quidquod nonnullos recentiorum indolem morbi in debilitate quaerere, quamvis tot morborum relationes et usus remediorum antiphlogisticorum et evacuantium hoc in morbo tam saepe necessarius contrarium docet. Itaque etiam Hufeland (52) maxime errat, qui debilitatem systematis vasorum semper ejus esse causam statuit. Richter (33) contra debilitatem peculiarem et mutationem organicam cutis statuit, qua sanguis

in ea morbose mutetur. Sed relationes morborum a medicis celeberrimis nobis factae causam nobis non praebent, ejusmodi debilitatem cutis semper statuendi, neque hac, etsi eam concesseris, sanguinis effluxus ex vasis explicatur. Non minus errare videtur Acrel (34), qui morbi indolem in debilitate arteriarum minimarum ponit, ita ut sanguinem in venas mittere non possint, qua in re errat sumens, sanguinem in venas mitti vi systematis vasorum capillarum. Vogel (35) atoniam cutis causam esse putat, quae cum sanguinis quadam decompositione conjuncta, tamen alia sit, ac ea, quae in febribus putridis et in scorbuto animadvertatur. Quamquam vero saepius ita se habeat, ut conditio sanguinis decomposita occurrat, tamen ob causas supradictas ejus sententiam rectam non praedicaverim, neque ex ea explicatur, quomodo sanguis hominum, qui optima antea gravis erant valetudine, repente hanc perversam indolem assumerit. Nec minus errare videtur Haase (36) qui statum paralyticum finium vasorum statuit, inde a quibus paralysis altius ad medium systema vasorum procedat. Conbruch (37) hunc morbum modificationem scorbuti putat, qui tamen maxime ab eo differt, quod dein monstrabo. Et Struve (38), quo teste hicce morbus homines inprimis potui dedito afficit, non videtur a sententia alienus esse, ipsum atque scorbutum non nisi modificationem esse ejusdem morbi, nam „dafs“, inquit, „die „Werlhofsche Krankheit und der Scorbut sehr „nah verwandte Krankheitszustände sind, möch-

te wohl keinem Zweifel unterliegen, ich wenigstens halte sie bis jetzt nur für Varietäten „eines Uebels, wovon die eine, der Scorbut, „mehr dem Seemann und der Seeküste, die andere aber, durch anhaltendere und weniger „bekannte Schädlichkeiten erzeugt, mehr dem „festen Lande angehört.“ Attamen alio loco contendit, haemorrhoeam petechialem eo praecipue a scorbuto dignosci, quod conjuncta sit cum stagnatione sanguinis in venis abdominis, eoque, quod hepar non apte ad leges organi mi fungatur.

Sundelin (39) quoque causam in relaxatione vasorum capillarum quaerit, quae vel ab atonia primaria et relaxatione vasorum ipsorum, vel a perversa mixture sanguinis pendeat, quae posterior qualitate sanguinis partim magis venosa, partim septica procreetur. Optime Pet. Frank (40) igitur judicat, si „Nec opus est,“ inquit, „ad putridam sanguinis dissolutionem in „his (petechiis) explicandis recurrere, quae vel „solo interdum emetico, aut purgante alvum „remedio dissipantur in horas aut in multis sine febris aut morbi vestigio in cute prorumpunt. Frequenter satis in morbis inflammatoriis petechias ac emissum compactum ac densum corio obtectum conspeximus sanguinem.“ Duncan quintuplicem hujus morbi causam statuit, primam sanguinis tenuitatem auctam; secundam dilatationem stomatum arteriarum, tertiam nimiam teneritatem vasorum parvorum, quae ea sanguini affluentem resistere imparia faciat, quar-

iam affluxum sanguinis tam adauctum, ut vasa optime constituta sanguini resistere nequeant, quintam circulationem impeditam, qua stat, ut vasa rumpantur.

Si vero relationes morborum, quas medici celeberrimi nobis reliquerunt, et morbi symptomata intuemur, et quae cadaverum sectiones diligentissimae nos docent, reputamus, mihi non absonum videtur in curatione morbi duplicem ejus statuere naturam, ita ut haemorrhoeam statuamus vel idiopathicam, vel symptomaticeam. Multis enim in casibus in organis remotis nil invenimus, quod nexum causalem cum morbo nostro indicet, sed symptomata, quae pathema systematis vasorum indicant, ita ut hoc in casu pathema idiopathicum systematis vasorum, et quod inde sequitur, haemorrhoeam petechialem idiopathicam statuere debeamus. In aliis casibus contra eorum organorum depravationes inveniuntur, quae magni momenti sunt non solum in circuitum sanguinis, sed etiam in ejus missionem, ut in corde, in pulmonibus, hepate, liene, aliisque, et quidem tam saepe eas reperimus, ut dubitare nequeamus, quin causam morbi efficiant. Morbum porro exoriri videmus post excretiones aetas, si opprimuntur, post exanthemata vel ulcera suppressa, ubi functiones gastricae turbatae sunt, apud homines, qui haemorrhoidibus laborabant, in mulieribus, quarum menstrua legitime non procedunt, in utero gestantibus et puerperis, vel, ut breve dicam, in iis tantum

casibus, in quibus circuitus atque mistio sanguinis mutatur, et systema vasorum secundarie affectum est, quos casus lubentissime haemorrhoeae petechialis symptomaticeae nomine denotarem.

Quod primum pathema idiopathica systematis vasorum attinet, causa esse potest ejus energia adaucta, quem casum haemorrhoeam petechialem acutam vel inflammatoriam vocare possumus. Ejusmodi haemorrhocam petechialem statuere nos jubet repentina apparitio morbi apud viros robustos, in aetatis flore, qui aliis morbis antea non laborabant, et qui eam degunt vitam, quae ortui aliorum morborum inflammatoriorum favet. Symptomata hoc in casu animadvertemus, quae cuncta vim systematis vasorum auctam indicant, nempe pulsum arteriarum inveniemus fortem et plenum, quin acceleratum, calorem, sitim, morbus a synocha facile incipiet, sanguis in majore quantitate erumpet, coagulabitur, quin crustam inflammatoriam monstrabit, color laetior in petechiis animadvertetur; longiore tamen morbi duratione tonus vasorum minuetur et haemorrhagia ab initio activa indolem assumet passivam. Haemorrh. petech. inflammatoria explicari potest, ita ut non in quovis casu ad veram rupturam vasorum parvorum, quae sanguini affluentem resistere non possint, confugiamus, sed potius exmutata indole vitali systematis vasorum (42), quod nunc sanguinem emittat, cum contra in statu normali materias secernat, quae sustenta-

tionem organismi inserviunt. Et in aliis quoque morbis inflammatoriis satis saepe extravasata cruenta reperimus.

Pathema vasorum porro niti potest erethismo, et character hicce vel ex statu inflammatorio praecedente, vel ab initio animadvertitur. Qui erethismus duplex esse potest, vel procreatur causis, quae in systema nervorum vitae animalis vim suam exerunt, quarumque effectus consensualiter vasorum nervos afficiunt, vel pendet ab aucta receptivitate nervorum vegetationi vasorum inservientium, et demissa energia fibrarum vasorum irritabilium ipsarum. Priorem casum erethismum sensibilem dico, qui imprimis post animi motus animadvertitur et agnoscitur sanguinis effluxu magis periodico, arteriarum pulsu inaequali, symptomatibus spasmodicis. In casu altero, quem erethismum irritabilem dico, haemorrhoea magis perdurat, arteriae in motu citiori constantius perseverant, quamvis molliter et parvis ictibus pulsant. Sanguis ex vasis duplici prodivia, primum, quia vi reagendi systematis vasorum depressa, sanguis tantum in receptivitatem auctam majus irritamentum efficit, quam in statu normali; porro mutata systematis vasorum vitalitate, qua fit, ut mutantur secretiones, quae hic nimis cito, nec satis praeparatae secernuntur.

Tertium denique pathema systematis vasorum in paralyti niti potest, quae itidem ut erethismus duplicis est naturae, et partim a vi

systematis nervorum in systema vasorum fere extincta, partim a relaxatione fibrarum vasorum ipsarum pendere potest. In casu priori pulsus debilem, parvum, interruptum et omnino irregularem, frigus extremitatum et inclinationem ad syncopen animadvertimus. In casu altero pulsus minus fortis et indoles magis dissoluta sanguinis observatur. Sanguis ex finibus vasorum relaxatis procedit.

Transeundum jam nobis est ad haemorrhoeam petechialem symptomaticam, quae in universum saepius fortasse occurrit, quam idiopathica; et hic distinguendum est inter haemorrhoeam petechialem, quae a vitio aut organicis, aut dynamicis pendet organorum aut systematum aliorum. Quae vitia quadruplicem morbum procreare queunt ratione: primum sanguinis affluxu per arterias aucto, dein sanguinis refluxu intercepto ad cor per venas, postremo nimia vasorum repletionem, cum materiae, quae secerni debuissent, retineantur, ac denique sanguinis mistione depravata, cum organa primarie affecta sint, quae assimilationi et sanguificationi praesint, vel saltem magnam in eam exerant vim.

Ex aliorum organorum vitio primum illa memoranda sunt, quae hepar afficiunt, quippe quae saepissimae morbi causae sint. Ut vero haemorrhoeam petechialem explicemus, quae pendeat ab affectionibus hepatis, ante oculos ponamus necesse est structuram anatomicam nec

non momentum physiologicum hepatis. Vasa venosa cuncta, quae sanguinem a ventriculo, tractu intestinali et liene ad cor reducunt, in unum conjunguntur truncum, nempe venam portae, quae iterum in ramos tenuissimos partitur in hepate ipso, dein sanguinem suum in venam hepaticam emittit, unde denique per venam cavam inferiorem sursum in ventriculum cordis dextrum reducit. Ut de natura physiologica hepatis dicamus, bili secernendae inservit, qua functione, cum materias e sanguine amoveat et discernat, quae organismi functionibus non amplius inserviunt, et sanguinem a carbonæo liberet, tamen etsi ad id non respicias, quod digestioni maxime inserviat, hepar organon esse dico, quod corpori a superfluis liberando inserviat. Ex quo facile patet, quanti momenti hepar non solum in sanguinis circulationem, sed etiam in ejus normalem missionem sit, quapropter fieri non potest, quin, ubi hepar inflammatum sit, vel induratum, vel ad nimiam evehatur magnitudinem, circuitus sanguinis maxime turbetur. Sanguinis venosi enim non solum refluxus per hepar ipsum, sed etiam in vena cava inferiori compressa intercipitur. Hepar dein si crescit cum diaphragma sursum tollat, pulmonum extensionem liberam impedit, ita ut si arteriae eandem semper quantitatem ducunt, sanguis facile limites suos relinquere possit. Ex eadem causa in hepatitide haemorrhoeas ex parte dextro procedentes videmus. Praeterea in his hepatis affectionibus gravis ejus functionis interruptio hic examinanda est, qua

in universum materiae excretioni destinatae retinentur et tractui intestinali secretum, quod ad digestionem et quod inde sequitur ad sanguinem recte constitutum maxime est necessarium, vel prorsus aufertur, vel saltem in pejus mutatur.

Aliud organon, quod in haemorrhoeam petechialem procreandam magnum exserit momentum, lien est, quam rem non solum symptomata splenitidis (44), quae in vivo aegrotis saepe animadvertuntur, sed cadaverum sectiones quoque demonstrant (45). Lien ex organis est, quae sanguine maxime repleta sunt, qui si sanguinis arteriarum influxui in lienem quid obstat, majori cum vi ad alia sese convertat necesse est organa, et facile, si vasa affluxui aucto resistere nequeunt, ex iis prorumpere potest. Praeterea hic, ut in hepatis nimia magnitudine, pulmo sinister comprimitur et circulatio nec non oxydatio atque decarbonisatio sanguinis intercipitur. Lienis functio impedita denique hic omittenda non est, sed quum certi quid de lienis functione hucusque compertum non habeamus, de turbata quoque nil certi contendere possumus. Sin autem recte se habet, quod maxima physiologorum pars contendit, lienem bili preparandae potius inservire (46) quod arctior vasorum cum hepate conjunctio, magna sanguinis copia, quae nequaquam solo lieni a lendo destinata esse potest, mutata sanguinis in liene conditio, et bilis perspicue mutata in lienis morbis demonstrant, facile explicatur, quomodo lienis affectiones in haemorrhoeam petechialem gignendam vim exserere queant.

Similiter ac hepatis lienisque conditio morbose vitia organica pulmonum, quae efficiunt, ut minus bene functionibus suis praesint, haemorrhoeae petechiali procreandae favere videntur, cum pulmones prae ceteris organis, ut normalis sanguinis status procreetur, efficiant. Sed non solum impedita oxydatio et decarbonisatio sanguinis hic respicienda, sed quoque sanguinis in pulmonibus circuitus horum conditione impervia impeditur, quae accumulationes et extravasata sanguinis in aliis partibus procreare valet. Quam sententiam observatio tuetur a Rayero facta, in qua aeger succubuit et cadaveris sectio partim hepatisationem, partim vomicas in pulmonibus ostendebat (47).

Haemorrhoea petechialis saepe a morbosa cordis conditione pendere videtur, cujus causa hypertrophia cordis et inprimis arii sinistri esse potest, ubi leves jam labores suscepti cor ad nimiam excitant activitatem, ita ut sanguis cum vi per arterias agatur, cui vasa resistere nequeant. In aliis casibus vitia valvularum et ostiorum et quae inde oritur circulatio turbata morbi causam efficere possunt. — In aegro quodam, Batemano commisso, morbus ex glandulae thymi affectione ortum cepisse videbatur (48).

Symptomatice haemorrhoea petechialis dein interdum apparet in graviditate et post menstruata turbata, imprimis suppressa (49). Nexum hujus rei causalem facile intelligemus, si structuram et quem ad finem vivat mulier

reputamus. Organismus muliebris a virili reproductione praedominante et sanguinis copia hanc ob causam aucta differt, quae non solum ad conservandam feminam ipsam, sed quoque ad novum excolendum hominem destinata est. Qui finis posterior si non attingitur, major illa sanguinis copia menstruatione regulariter redeunte minuitur; si vero gravida fit mulier, magnae in ea provocantur mutationes; omnes secretiones et excretiones imminuuntur, menstrua, quae sanguinem redundantem amovebant, non redeunt, quia hic ad foetum excolendum requiritur, initio vero graviditatis non omnis sanguis superfluis huic rei impenditur, unde major exoritur copia sanguinis. Non vero solam sanguinis quantitatem auctam, quae graviditate procedente diminuitur, sed etiam sanguinis mutam respiciamus necesse est constitutionem, quae prope accedens constitutioni sanguinis in morbis inflammatoriis obviae principio plastico abundat; quod satis superque elucet e crusta inflammatoria, quae gravidarum sanguinem e venis emissum tegit et de novo innuit, mulierem ad excolendum foetum natam esse. Dein uteri magnitudine aucta circulatio in abdomine et, diaphragmate sursum lato, in cavo thoracis impeditur. Quapropter in graviditate causas satis multas reperimus, quae, ubi systema vasorum aliquantum excitatum sit vel debilitatum, morbum provocare valent. Ex iis, quae modo monuimus, re ipsa intelligitur, quatenus menstruum suppressio causa fieri possit haemorrhoeae petechialis. Idem quoque de fluxu haemor-

rhoïdali suppresso valet, sanguinis fluxu critico, quo natura plethoram abdominalem pro tempore tollere studet.

Haemorrhagia petechialis denique symptomatice procreari potest morbis omnium eorum organorum, quae ad assimilationem et sanguificationem una agunt, quo numeres velim vitia organica atque dynamica ventriculi, tractus intestinorum, vasorum lymphaticorum, secretiones turbatas gastricas etc., nam uti earum suppressione systema vasorum materiis nimis repletur, quae secerni debuissent et inde circulatio impeditur, eadem ratione organorum gastricorum functio vitiosa sanguinis mitioni nocere debet. Quapropter saepissime animadvertere licet, symptomata huncce morbum praecedere atque prosequi, quae functiones gastricas turbatas indicant (50).

Denique quaestio dijudicanda videtur, num haemorrhoeae petechiali vis adscribi possit critica. Quod Wichmann (51) prorsus negat, eique assentiendum esse censeo, si hunc morbum ea notione, qua medici antiquiores, sumimus, eumque non nisi debilitate procreari remur, cum illa sanguinis amissione necessario augeri debeat. Quod si vero ejus notionem latius patere statuimus, uti fas esse puto, non possumus, quin morbo huicce in casibus singulis vim criticam tribuamus, cum naturae vis medicatrix eo sanguinis adauctiones in partibus singulis et nimiam tollere studeat systematis va-

sorum repletionem. Atamen negari nequit, haemorrhoeam deiu vim criticam amittere posse, si diuturnior vel nimis vehemens sit.

Ad hunc morbum praedispotionem imprimis in hominibus invenimus, quorum systema vasorum facile irritatur, fibra laxa et debilis, cutis tenera est, quorum habitus illi similis, quem in phthisi florida animadvertimus, in hominibus cachecticis, qui malo fruuntur victu; quamvis viri robusti et plethorici interdum ad hunc morbum inclinent. Mulieres praecipue et juniores brevi ante et post pubertatem aggredditur, quamquam Struve (52) eum maxime apud veteres se observasse referat. Quod causas occasionales attinet, earum magna et varia copia ex iis, quae de morbi natura attulimus, re ipsa intelligitur: morbus tamen saepius in hominibus animadvertitur, qui civium ordinibus inferioribus adnumerantur et pauperes atque egeni vivunt. Causis occasionalibus adnumera, si quis domicilia habuerit in cavis subterraneis, humidis, in regionibus humilibus, quarum aër vapore vegetabilium et animalium putridorum corruptus est, aërem humidum unaque calidum, dietam non bene observatam, cibum difficilem digestu, aquosum, non multum nutrientem, aquae ad bibendum aptae defectum, nimium spirituosorum usum. His accedunt nimius aut nimis longe continuatus usus medicaminum eorum, quae sanguificationem ejusque mitionem corrumpunt, quibus Mercurii praeparata imprimis adnumeranda sunt. Suedelin

(53) morbum exortum esse testatur post aquae laurocerasi nimiumque saponis usum. Sed conditionibus quoque prorsus contrariis excolitur morbus, ut in hominibus, qui diaeta nimis irritanti utuntur atque nutrienti, exoritur dein post refrigerationes, aumi affectiones, post suppressionem menstruorum et haemorrhoidum aliarumque secretionum tum normalium, tum abnormium, uti ex. gr. post ulcera incaute sanata et exanthemata (54), apud homines, qui vitam sedentariam agunt et tamen cibos magis alentes sumunt, post labores difficiliores. Interdum exoritur post morbos acutos vel chronicos, qui organismum magnopere debilitaverant.

Morbus maxima medicorum parte testante non nisi sporadice apparet, quamquam Schoenlein (54) eum interdum epidemicum esse putet, imprimis vere ineunte et sub autumni fine aëre humido et frigido. Endemicus esse videtur in regionibus nonnullis, quarum situs et coelum huic morbo procreando favet. Contagio quodam non propagatur. Morbus non semper simplex, sed saepius cum morbis diversissimis complicatus est. Casus tamen, in quibus eum cum exanthematibus acutis observatum fuisse narant, saepe fortasse non nisi modificationem putridam horum exanthematum fuisse puto.

Quomodo haemorrh. petech. ab aliis morbis similibus differat.

Quamvis signa satis denotantia haemorrhagiam petechialem distinguant, alii tamen morbi reperiuntur, qui ei plus minusve similes videntur. Inter quos primum exanthemata quaedam nominanda sunt acuta. Morbus quidem excultus haemorrhagiis eum comitantibus et febre plerumque deficienti satis distincte ab aliis secernitur, sed tamen haemorrhoea symptoma est, quod non semper ab initio apparet, neque febris semper deest.

Peticulae, quas morbus secum fert, facillime cum roseola confundi possent, simili quidem ratione atque maculae, quae in typho contagioso apparent, et nonnullis petechiae false habitae sunt. Quae tamen a roseolis signis certissimis distant hisce: Roseolae colore sunt rosaceo, peticulae vero purpureo, livido, et cum vibicibus mistae, roseolae, ubi digito premuntur, disparent, quod in petechiis contra se habet, quae interdum augentur hoc contactu, roseolae plerumque febris et sensationes ingratae in cute praecedunt, quod in peticulis non animadvertis, roseolae plerumque epidemicam, haemorrhoea petechialis contra sporadicam prae se fert indolem.

Morbili a petechiis eo praesertim discernuntur, quod febris et symptomata catarrhalia

eos praecedunt et comitantur, quod exanthema e maculis constat exiguis rosaceis, quae paululum supra cutem assurgunt et in facie primum conspiciuntur, quod autem in petiulis contra se habet, cum facies ab iis immunis servari so- leat. Praeterea morbilli morbus sunt epidem- icus, haemorrhoea petechialis autem plerumque sporadica invenitur.

Scarlatinam dein haud facile cum hae- morrhoea petechiali confunderes, cum febris ac- cris praecedens, cutis molestiae, calor cutis, an- gina et signa, quae jam ut roseolae a petiulis discernerentur, attulimus, eam facile distinguant. Praeterea in scarlatina ab initio tantum obser- vantur maculae, quae mox confluant atque ru- borem per omne fere corpus effusum efficiunt. Facilius modificationem putridam scarlatinae complicationem esse haemorrhoeae petechialis cum scarlatina crederes, nisi hic major virium defectus et decompositio succorum apparerent, quae non uti in morbo maculoso haemorrhagi- co in solo systemate vasorum animadvertuntur; praeterea scarlatinae hanc modificationem, quae affectionem systematis nervorum indicant, comi- tantur symptomata.

Saepius haemorrhoea petechialis confundi posset cum modificatione putrida variolarum, cum haec etiam parvis incipiat maculis purpu- reis aut lividis, inter quas saepissime primo in- itio petechiae verae conspiciuntur, tamen diagnos- cere poteris haemorrhoeam petechialem a vari-

olis putridis, si diligentius rem perscrutaris, sig- nis hisce: Variolae morbus sunt semper epide- micus, quem prodromi certissimi praecedunt, sic- ut laboris fastidium, dolores praesertim dor- sum, regionem axillarem, et praecordia perme- autes, vomitus, cephalalgia, febris sub vesperum exacerbans; — exanthema primum in facie con- spicitur et jam primo initio tactu nodulos de- prehendere possumus exiguos, ex quibus postea pustulae exoriuntur.

Exanthema typhum contagiosum pro- sequens roseolis adnumerandum et praeter sym- ptomata praecedentia, febrem, capitis dolorem et cet. indiciis jam in roseolis expositis distin- guitur.

Difficillime vero haemorrhoeam petechia- lem a scorbutto distingueres, cum illa ex tir- dem saepe causis exoriri videatur, quae scor- butum procreari valent. Observatione vero di- ligentiori instituta videbimus, scorbutum path- ma esse altius in corpore insitum, vires et suc- cos hoc in morbo magis debilitatos et corrup- tos esse. Scorbutus nunquam solum systema va- sorum aggreditur, sed partes quoque solidas cito depravationis organicae participes facit, gir- giva emollitur, facillime sanguinem emittit, der- tes vacillant et amittuntur, odor intolerabilis ex ore exhalatur, petiulae mistae sunt cum sug- gillationibus multo majoribus, fuscioribus, co- lorisque maxime varii et incerti, quae saepe in gangraenam transeunt. et ulcera maligna pro

creant, quae spongiosa sunt atque colore purpureo, circulo livido circumdata, quaeque sanie ex sero et sanguine mistam, pessimeque redolentem produunt et facillime sanguinem emittunt. Sudores copiosi maleque olentes et diarrhoeae plerumque sanguine mistae animadvertuntur, ulcera vetera jam diu cicatrisata de novo prorumpunt, intumescitiae durae et rigiditatis articularum observantur, imprimis articuli genu, quae eadem in ulcera mutantur maligna et denique articulum prorsus destruunt. Ossa tam fragilia fiunt, ut interdum sola jam musculorum contractione frangantur. Una cum peticulo interdum exanthema peculiare exoritur, acnae rosaceae simile (56) imprimis in extremitatibus inferioribus et facie, quod ex elevationibus constat parvis et asperis, quarum apices sanie male olentem emittunt; aegrique pectoris angore vexantur. Scorbutus imprimis in oris terrarum septentrionalium exoritur, in navibus, quae in longis peregrinationibus cibo recenti et aqua pura egent. Haemorrhoea petechialis denique a scorbuto eo differt, quod saepe ex causis iis contrariis, quae scorbuto favent, exoritur.

A febris petechiali, quam Reuss (57) et Wedemeyer (58) optime nobis describunt, quae certis temporibus epidemica est, multosque consumit, haemorrhoea petechialis non solum febre plerumque deficiente, sed eo quoque differt, quod in febre petechiali peticularum proptio certis morbi diebus, plerumque quarto

die adstricta est, quod febris decursum habet magis definitum, et systemata cuncta magis afficiuntur. Praeterea contagio propagatur, quod in haemorrhoea petechiali minime ita se habet.

Simili ratione febris putrida a haemorrhoea petechiali differt. Illic quoque febris re primaria et essentialis, petechiae atque haemorrhoea dein post morbi longiorem durationem apparent et perniciosissimae sunt.

P r o g n o s i s .

Prognosis in universum fausta non est, quamvis Wichmann (59) contendat, hunc morbum plerumque ad exitum felicem duci, cui tamen morbi relationes, quarum permultae extant, contradicunt. Prognosis specialis respicere debet ortum idiopathicum, vel symptomaticum, et causas. Haemorrhoeam petechialem idiopathicam quod attinet, inflammatoria in omnibus fere casibus felicissimam praebet prognosin, nam naturae sanandi conamen haberi potest, tamen haud raro mortem secum fert, et nimia sanguinis jactura, et apoplexia aut catarrho suffocativo, vel in alium charactera transitu. Morbus cum febre inflammatoria apparens prognosin minus prosperam non semper reddit. Prognosin minus faustam forma erethica et paralytica statuunt ex causis, quas facile intelliges. In haemorrhoea petechiali symptomatica prognosin se-

quitur naturam causae remotioris, num tolli possit, nec ne: in vitis organicis infausta est, cum haec raro tantum ad recta reduci possint. Minus infausta prognosis post menstruationem aut haemorrhoides suppressas; in gravidis facile abortum procreat. Prognosis dein organon respiciat necesse est, ex quo fluat sanguis, casus autem semper infausti sunt, in quibus sanguis ex organo respiratoriis profluit. Prognosis porro variat in morbo simplici aut complicato, secundum aetatem, sexum, constitutionem et cetera. Morbus maxime iis nocet, qui habitu sunt phthisico. Mali ominis est, si petechiae fuscores fiunt, haemorrhoeae saepius redeunt, et sanguis ipse naturam exhibet decompositam, si oedema pedum, excretiones colliquativae, angor pectoris et febris hectica accedunt.

C u r a t i o .

Cum medicorum antiquorum de hujus morbi natura et indole sententiae non omnia, quae in hoc respicienda essent, reputarent, eorum quoque praecepta de eo sanando non omni ex parte probata fuisse, eamque ob causam curationem eam, quam Werlhof commendat per acida mineralia, remedia tonica et adstringentia non casui cuivis aptam esse, intelligitur. Ut ratione et via systematica hac in re proceda-

mus, in ejus naturam causasque diligentur inquiramus necesse est.

Indicatio prima, uti in omnibus reliquis morbis id postulat, ut causae occasionales removeantur. Quo in studio id imprimis curandum est, ut omnia arceantur, quae systema vasorum irritare possent. Temperies conclavis, quod aeger habitat, frigidior esse debet, nam calor non solum systema vasorum nimis irritat, sed quoque sanguinis expansione proclivitatem ejus e vasis erumpendi auget. Corpus quiete gaudeat maxima, neque animus irritari debet, cum vis affectionum animi in systema vasorum non solum ex accelerata sanguinis circulatione, sed etiam ex inaequali sanguinis distributione intelligatur. Corporis pars ab haemorrhoea affecta situm debet accipere altiolem, in epistaxi et stomatorrhagia ita cubare debet, ut sanguis libere profluere possit, ne deglutatur, vomitumque procreet, qui systema vasorum irritaret, neve in vias respiratorias fluens aegrum absumat suffocatione. Diaetae magna dein cura navanda, quamvis pauca hac de re generalia afferri possint, cum secundum morbi charactera variari debeat, cibus vero difficilis digestu, putridus semper vitandus est. Aer gaza, quae respirari non possunt et exhalationes animales vel vegetabiles continere non debet, sed siccus sit atque purus.

Indicatio altera morbi sanationem continet. In haemorrhoea petechiali idiopathica,

si inflammatoriam exhibet indolem, victus tenuior esse debet: caro vitanda, vegetabilia facilia digestu commendanda, aeger quibus vescitur, frigidae temperaturae sint. Potum summat acidulum ex succo citri et acido tartarico confectum, a spirituosus prorsus absteineat. Si morbus cum synocha apparet, et individuum robustum, arteriarum pulsus fortis atque plenus, temperatura cutis aucta est, respiratio acceleratur, et si aeger vehementem conqueritur sitim, medicus haemorrhagiam statim sedare ne studeat, imo potius hanc criticam naturae conamen, auctam systematis vasorum energiam sedandi putet, eique decursum liberum concedat. In quo re ipsa intelligitur, nimiam sanguinis effusionem coercendam esse. Interdum fieri potest, ut venae sectio requiratur, qua tamen nimis cito ne utaris, cum imprimis haemorrhagiae inflammatoriae haud raro difficillime sedentur, ut periculosum videatur, sanguinem insuper arte elicere. Quod si tamen vitari nequit, quantitas sanguinis venae sectione emissi, symptomatibus majus minusve inflammatoris et sanguinis copiae jam amissi aptari debet. Si organon aliquod inflammatione affectum ejusque functiones turbatae videantur, sanguinis evacuatio topica per hirudines vel cucurbitas magni saepe effectus fuit. Fomenta frigida interdum multum profuerunt. Si morbus cum haemorrhoidibus vel menstruatione suppressa cohaeret, venae sectio optime in pede instituitur, vel si detractio sanguinis topicae sufficiunt, in perinaeo, inter crura et circa anum. Pediluvia et vapores

calidi magnam requirunt cautionem, cum systema vasorum facile irritare possint. Usus remedium internorum a variis haemorrhoeae fontibus pendet. In universum remedia sunt commendanda acidulo-refrigerantia, atque salia media, quae cum potu ex acidis vegetabilibus parato conjunguntur; acidum tartaricum hic optimi est effectus. E salibus mediis prae ceteris Nitrum suadendum est, quod systema vasorum celerrime sedat, sed salia omnia fortiora, ubi ventriculus vel tractus intestinorum irritatus est, prorsus vitari, vel saltem magna cum cautione et involuta dari debent, cum immediate ejus tunicam mucosam excitantia, irritationem inflammatoriam in inflammationem veram mutare possint. Eadem cautela ubi systema uropoeticum irritatum est, in salium nitricorum et tartaricorum usu adhibenda est. Sin minus praeter Nitrum et salia tartarica, succos ad tractum intestinalem avertere magni est usus, quod salibus sulphuricis et Calomelane efficitur. Si morbus post transpirationem cutis suppressam exortus erat, symptomatibus inflammatoris remedium, quae modo dixi, ope lenitis, ad diaphoretica procedendum est, quorum minus irritantia eliguntur: datur Tartarus stibiatus dosibus minutis, vel vinum Antimonii Huxhami, liquor Mindereri, infusum florum Sambuci et al. Si sanguis ad externa libere non effluit, sed vitiose ad organa interna graviora ducitur, utpote ex. gr. ad cerebrum, et si symptomata satis nota apoplexiae cruentae apparent, statim phlebotomia

copiosa et derivationes cataplasmatibus sinapis suris applicatis, clysmata aceti, fomenta frigida circum caput et rel. adhibenda sunt.

Si post longiorem durationem haemorrhoea petechialis sthenica in erethicam mutatur, vel si ab initio charactera huncce servat, curatio secundum id variabit, num erethismus irritabilis sit, vel sensibilis. Cibus sumatur levis, sed nutriendo non impar, qui tamen systema vasorum non irritet, quapropter commendantur amylacea, sagu, oryza et al. Si erethismus naturam exhibet irritabilem, indicatio receptivatem systematis vasorum auctam leniendi, ejusque energiam augendi adest. Huic indicationi acida sunt congrua mineralia, a medicis antiquioribus tam saepe commendata, quae ne diuturnior eorum usus ventriculum molestat, cum remediis mucilaginosi vel aromatici copulantur. Acidum sulphuricum maximi est momenti, quod dilutum et plerumque cum alkohole mistum in elixirio acido Halleri datur. Acidum muriaticum minus efficit, quamvis in majori debilitate propter vires suas incitantes, aptius sit. Teneris, quibus acidum sulphuricum minus prodest, acidum phosphoricum magis commendandum. Externe lotiones vel fomenta acida et frigida laudantur. Erethismo affectionibus procreato, quae sensorium commune magis irritant, uti animi motus facere solent, ita ut erethismus sensibilis reperitur, partim remedia, quae sensibilitatem auctam sedant, partim ea, quae antagonisticè vim ejus

partis systematis nervorum, quae systema vasorum dominatur, systematis gangliorum augment, suadentur, ita ut hac via aequa et justa inter systema gangliorum et cerebri restituatur relatio. Remedia, quae hoc efficiunt sunt primum narcotica, quorum ea quoque eligenda, quae activitatem auctam vasorum non accelerant, sed potius minuunt, ut herba Digitalis purpureae, acidum hydrocyanicum, majorem vero cautionem herba Hyosciami et Opium requirunt, a posteriori prorsus abstinendum, ubi congestiones in caput animadvertuntur. Remediis, quae activitatem systematis gangliorum augment, et antagonisticè adauctam sensorii communis leniunt, inprimis adnumera nauseosa, quorum praesertim radice Ipecacuanhae utimur, sed iis tantum dosibus, ut non re vera vomitum efficiat, qui remediis exoptatum effectum prorsus tolleret. Externe fomenta tepida ex herbis aromaticis adhibentur, unguenta atque linimenta sedantia et antispasmodica.

Si denique morbus indole paralytica est, idque laxitate corporis totius indicatur, atque quantitate sanguinis tenui, aquosa et decomposita, si ob causam minimam, utpote contactum, pulsationem lenem in locis tactis oriuntur peti- culae remedia adhibemus, quae tonum systematis vasorum augment et roborant. Quem ad finem remedia tonica et adstringentia optima sunt, inter quae cortex Chinae primum obtinet locum, atque hic Chinino praestantior est, sumitur decocto fortiori ex uncia dimidia ad co-

laturam usque $\frac{3}{vj}$ parato, atque interdum cum acido sulphurico adhuc conjuncto. Remedia similia sunt: rad. Columbo, cort. Angusturae, cort. Simarubae, rad. Ratanhiae, cort. Granatorum fruct., rad. Tormentillae, gummi Kino, Catechu, Alumen, saccharum Saturni, vitriolum Martis et al. In casu altero, ubi paralysis exoritur ex nervorum influxu evanescente, ut excitetur, remedia volatilia incitantia adhibemus, uti aetherum varias species, acida dulcificata, vinum, infusum rad. Valerianae min., Serpentariae, Angelicae, liquorem Cornu Cervi succinatam, Moschum, Castoreum, tincturam Cinnamoni et cet. Cum vero uterque status raro tam solus, sed plerumque alter cum altero conjunctus appareat, in casibus compluribus conjunctio quoque remedium tonicorum et adstringentium cum volatilibus incitantibus necessaria erit. Ad usum externum lotiones similes adstringentes et spirituosae bonae sunt frugis, uti quoque repentini frigidis influxus perfusionibus frigidis procreatus. Dietam quod attinet in carne constat bene nutriendi sed facili digestu, commendandus est quoque modicus vini usus, qui, uti res secum fert, vel adstringens vel ardens esse potest. Apud pauperes usus maxime modicus aquae vitae vini locum explere potest.

Ad curationem haemorrhoeae petechialis symptomatice jam nobis est transeundum. Sed cum sciamus, mala primaria quam

variā esse possint, fines hujus dissertationis ejusque excederem scopum, si unumquodque fusius pertractare vellem. Quā propter quae ad rem in univēsum pertineant, atque necessaria sint, percurrām. In univēsum maxime est habenda cura, ut secretiones et excretiones omnes in statu consueto libero maneant, nam hac via superimpletiones in vasis et circuitus sanguinis stagnationes facillime tollere valemus. Quam ob rem medici est secretiones et excretiones, si suppressae erant, restituere, quod idem de secretionibus abnormibus valet, per quas organismus jam per longius tempus materias discernere consueverat, utpote ulcera, exanthemata chronica, haemorrhoides et cet., quae rursus provocari debent. Quod si fieri nequit, secretiones vicariae, ut per vesicantia et fongiculos parandae sunt.

Si causa morbi in systemate venae portae latet, et plethora abdominali nititur, minor a remediis pharmaceuticis, quam a diaeta et victus ratione moderata sperandus est effectus. Si diaeta antea ex cibis forte nutrientibus, incitantibus, conditiis, vel gravibus et difficilibus digestu constabat, cum cibo leviori, magis vegetabili est mutanda, corporis motus necessarius ut adsit curandum, corporis positurae, sanguinis circulationem in abdomine turbantes, vitandae. Maxime dein adhibenda est cura, ut alvus quotidie mittatur, quam ob causam optime se habet, si alvus propter remedia diaetetica bene profuit, cum diuturnior purgantium usus tra-

ctum intestinale majus minusve debilitet, atque organismus illis paulatim adeo assuefiat, ut denique vim suam amittant. Sin autem ad remedia pharmaceutica confugere cogimur, apud robustos in diathesi inflammatoria salia sulphurica et tartarica magni sunt usus, ut quoque succi recens expressi e Taraxaco, Gramine et aliis. In aegris magis torpidis et atonicis purgantia drastica, ut ex. gr. rad. Jalappae et cet., et resolventia cum principio austero ut rad. Chelidonii, gummi Ammoniacum, resina Guajaci et al. laudantur. Finem curationis aquae minerales solventes et purgantes faciant, ut aqua Puellnaviensis, Saldschützensis, Carlsbadensis et denique aquae minerales ferrum continentes, quas Dryburg, Pymont, Spaa et alia loca nobis offerunt. Quarum tamen usus cautelam requirit maximam et quamdiu aeger ad haemorrhoeas activas inclinat, vitandae sunt.

Si hepatis morbi causam efficiunt, ubi inflammatione chronica affecta est, illa secundum regulas satis notas curanda. Si hepatis durities animadvertitur, remedia sunt adhibenda resolventia, quae si dolor levis adhuc in regione hypochondriaca dextra manifestatur ex salibus aceticis et tartaricis, praeparatis Mercurii et Antimonii, e Taraxaco, Gramine, in statu vero torpido ex rad. Chelidonii, Saponariae, gummi Ammoniaci, Aloë, rad. Rhei, Alkalinis consi-

stant. Externe unguenta et linimenta e Mercurio, gummi Ammoniaci, Cicuta, Alkali volatili consistentia, serius hic quoque aquae minerales resolventes, cautela tamen quam supra diximus observata, adhiberi possunt.— Curatio in lienis morbis similis, amarum tamen exceptis remediis, quae in lienis morbis nisi ex febribus intermittentibus exortis adhiberi non debent.

Sin autem e depravata cordis functione, et quidem ex vitio quodam organico exorta maneat, curantes respicere debemus, utrum phaenomena hypertrophiam, an atrophiam, an vitium quoddam ostiorum et valvularum indicent. Quomodocunque res ceterum se habeat, secretiones et excretiones integerrimae curandae sunt. Si morbus ab hypertrophia cordis pendet, omnia sunt vitanda, quae cor magis excitant. Cibus ex vegetabilibus constet, quae facile digerantur, a remediis irritantibus abstinendum, violentae corporis virium intentiones, animi affectiones quoque vitandae sunt. Porriguntur salia acidulo-refrigerantia, ut Tart. tartarisatus, boraxatus et al., interdum quoque venae sectio parva commendatur. In atrophia quoque evitandi affectus animi, nimiae corporis contentiones, diaeta magis nutriens adhibenda, remedia amara porrigenda et adstringentia, ut serum lactis aluminatum, ac denique praeparata ferri. Vitiis autem ostiorum et valvularum morbo causam praebentibus omnes vitandae sunt res cordis actionem

augentes. Simul si aegrotus constitutione est praeditus robusta, remedia adhibenda sunt, quae circulationem deprimunt, ut venae sectiones parvae, salia media refrigerantia. Vi cordis vero non re vera aucta, indicatio praecipue est retardandi pulsus cordis, quod optime assequimur usu herbae Digitalis purp., lactucarii et al. Cordis vitia dinamica curanda sunt secundum charactera, et hic praecepta, quae jam in haemorrhoea petechiali idiopathica dixi, valent.

Si alvi functiones turbatae vel sordes gastricae morbi causa reperiuntur, hae si alvum premunt, purgantibus sunt amovendae. Quae causa quum tam saepe animadvertatur, intelligitur cur purgantia tam unanimiter, imprimis a medicis anglicis (60) commendantur. Hic quoque remedia secundum aegri vires eligenda sunt. Nicholl (61) ol. Terebinthinae prae ceteris commendat, quod vero nimis irritat, facileque ventriculo tractuique intestinorum nocet. Quapropter maxima cum cautela adhibendum est, neque aliis nisi aegris torpidis porrigendum. In regionibus nostris remedium istud rarius indicabitur, et in fortioribus tantum et torpidis Anglorum constitutionibus laudem merbitur, quam horum medici ei tribuunt. Si vero gastricae sordes altiora petunt, multi emetica commendant (62) quae tamen maxima cum cautela porrigenda sunt, ita ut ab eorum usu durante haemorrhoea prorsus abstinendum sit.

Si morbus debilitate universali, digestionem manca, sanguificatione perversa aut frequenti usu ciborum sale nimis conditorum, fumo siccatorum, quin putridorum procreatus est, diaeta imprimis commendanda est apta, nempe cibi bene nutrites, faciles digestu. In casu priori remedia sumantur, quae digestionem favent, debilitatem generalem tollunt et sanguificationem corrigunt, nempe aromatica et amara, in casu altero curatio est adhibenda scorbuti curationi similis et dein roborans.

Quod sanguinis profluvium atinet, cum in omnibus hisce casibus non a primaria pendeat affectione vasorum, plerumque sponte cessat, si modo malum primum oppugnatur. Si vero haemorrhoea eo non sedatur, curatio iis cum congruit, quae in indicatione tertia dicemus. Non semper tamen magna contra hoc symptoma requiritur activitas, cum saepe naturam habeat criticam, ut post secretiones et excretiones suppressas. Tum tantum artis ope intercedendum, si sanguis tam vehementer profluit, ut vitae periculum inde immineat, vel ex organo maximi momenti, quod profluvio facile deleri possit.

Indicatio tertia vitae periculum repentine ex nimia sanguinis profluvie imminens, vel si sanguis ex organis gravioribus erumpat, avertere jubet. Remedia, quibus hic uti licet, sunt, si haemorrhoeae fons immediate attingi potest, fomenta frigida, injectiones atque gargarismata

frigida et adstringentia, et denique sanguis profluens linteis conceptis reprimatur. Quod si fieri nequit, remedia derivantia locum obtinent, cataplasmata sinapina, sanguinis detractiones topicae in partibus remotioribus, clysmata derivantia ut alia paretur via sanguini, adhibenda sunt. In aliis casibus fomenta emollientia, calida et infrictiones antispasmodicae non sine usu erunt. In casibus singulis lotiones et perfusiones frigidae sunt commendandae (63). Horum remediorum usus in casibus singulis a caractere et causis variis haemorrhoeae pendet. Neque remedia interna sanguinis profluvio congrua negligenda sunt,

Indicatio quarta, quomodo sanitati redeunte moderemur, docet. Cum morbus ipse aegri vires debilitare satis valeat, curatio roborans in universonum hic commendanda. Sed si fieri potest, eorum tantum remediorum usus sit, quae non multum irritant, ut lichen islandicus, rad. Columbo, cort. Cascarillae, cort. Quassiae, rad. Gentianae, cort. Chinae et denique ferri praeparata; primum hic limatura Martis porrigitur et paulatim ad praeparata fortiora, ad ferrum oxdulatum sulphuricum proceditur. Serius balnea quoque, in mari vel aquis ferrum continentibus sumta, prosunt. Diaeta hisce congrua esto, e cibo constet forti, nutrienti, facili digestu, vinumque sumatur generosum. Inprimis quoque ab initio corporis motus quicunque irritantes atque animi vehementes vitandi sunt affectus.

Libri citati.

1. Werlhof commercium noricum ad rei medicae et scientiarum naturalium incrementum institutum. 1735. — 2. Medical cases selected from the Records of the public Dispensary at Edinburgh, with remarks and observations by Andrew Duncan. Edinburgh 1784. — 3. Cazenave et Schedel abrégé pratique des maladies de la peau. Paris 1828. — 4. Die Hautkrankheiten und ihre Behandlung, systematisch beschrieben von R. Willan, aus dem Englischen übersetzt von Friesse. Breslau, Hirschberg und Lissa 1799. — 5. S. Plümbe, practische Abhandlung über die Hautkrankheiten, aus dem Engl. übersetzt. Weimar 1825. — 6. Bateman, dissert. inaug. de haemorrh. petech. Edinburgh 1801. — 7. Adair, dissert. inaug. de haemorrhoea petechiali. Edinburgh 1789. — Allgemeine und specielle Pathologie und Therapie nach Schönlein's Vorlesungen, nachgeschrieben und herausgegeben von einem seiner Zuhörer. Würzburg 1832. 2ter Band. — Rayer traité théorique et pratique des maladies de la peau. Paris 1827. Tome second. — 10. Bateman, practische Darstellung der Hautkrankheiten nach Willan's System, aus dem Englischen von A. Hanemann. Halle 1815. — 11. Schönlein l. c. pag. 65. — 12. Plümbe l. c. pag. 83. — 13. Vermischte Abhandlungen aus dem Gebiet der Heilkunde von einer Gesellschaft der practischen Aerzte zu St. Petersburg: St. Petersburg und Leipzig 1825. 3te Sammlung.

— 14. Rust, Magazin der gesammten Heilkunde. Berlin 1820. 8ter Band, p. 45. — 15. Bateman, Darstellung etc. l. c. pag. 179. — 16. Rust's Magazin 8ter Bd. pag. 58. — 17. Schönlein l. c. pag. 66. — 18. Die specielle Therapie nach den hinterlassenen Papieren des verstorbenen Dr. A. G. Richter, herausgegeben von Dr. G. A. Richter, Berlin 1827. 2ter Theil, 2te Abtheilung. — 19. Willian l. c. — 20. Schönlein l. c. — 21. Bateman Darstellung etc. — 22. Cazenave et Schedel l. c. p. 468. — 23. Rayer l. c. observation CLXXII. — 24. Cazenave et Schedel l. c. pag. 469. — 25. Bateman Darstellung etc. pag. 186. — 26. Schönlein l. c. pag. 66. — 27. Bateman Darstellung etc. pag. 187. — 28. Rayer l. c. observat. CLXXI. — 29. Cazenave et Schedel l. c. pag. 468. — 30. Die Krankheiten des Herzens, systematisch bearbeitet und durch eigne Beobachtungen erläutert von Dr. Kreyzig. Berlin 1814. 1ster Theil pag. 177. — 31. Joan. Pet. Frank de curandis hominum morbis epitome Mannhemii 1804. Liber III. — 32. Hufeland, System der practischen Heilkunde. Jena und Leipzig 1802. 2ter Theil. — 33. Richter l. c. — 34. Acrel dissert. inaug. de haemorrh. petech. Upsalae 1797. — 35. Vogel, Handbuch der practischen Arzneiwissenschaft, zum Gebrauch für angehende Aerzte. Stendal 1800. 5ter Thl. — 36. Haase, über die Erkenntniß und Cur der chronischen Krankheiten des menschlichen Organismus. Leipzig 1817. — 37. Consruch klinisches Taschenbuch. Vol. II. — 38. Rust's Magazin. Bd. 8. — 39. Dr. Berend's Vorlesungen über practische Arzneiwissenschaft, herausgegeben von Dr. Sundelin. Berlin 1828. 5ter Band. — Joan. P. Frank de cur. hom. morb. epit. lib. III. pag. 122. — 41. Plumbe l. c. pag. 98. — 42. Joan. P. Frank l. c. lib. V, pars II. pag. 104. — 43. Rust's Magazin p. 64. — 44. Schönlein l. c. pag. 66. — 45. Bateman Darstellung etc. pag. 186. — 46. Dr. Hempel, Einleitung in die Physiologie und Pathologie des menschlichen Organismus. Göttingen 1828. pag. 353. — 47.

Rayer l. c. observ. CLXXI. — 48. Bateman l. c. — 49. Rust's Magazin etc. Bd. 17, 13tes Heft, pag. 551. — 50. Plumbe l. c. pag. 80. — 51. Wichmann, Ideen zur Diagnostik. Hannover 1800. 1ster Bd. § 25. — 52. Rust's Magazin. 8ter Band. — 53. Berends l. c. pag. 199. — 54. Hufeland, Journal der practischen Heilkunde. VII, 2. pag. 26. — 55. Schönlein l. c. pag. 66. — 56. Ibidem l. c. — 57. Reuss, Wesen der Exantheme. Aschaffenburg 1814. 1ster Theil. — 58. Wedemeyer dissert. inaug. de febre petechiali. Göttingen 1812. — 59. Wichmann l. c. § 26. — 60. Plumbe l. c. — 61. Ibidem. — 62. Abhandlungen Petersburger Aerzte. l. c. — 16. Ibidem. l. c.